



AB  
154728

*Sept. 15*

Nº 4118 \*

*W. L.*

11832

DISPUTATIO INAUGURALIS  
ANATOMICO-MEDICA  
DE  
**EPIPHORA,**  
*Quam*  
SUB AUSPICIIS SUPREMI ARCHIATRI,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO atq. EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,*  
**DOMINO FRIDERICO**  
**WILHELMO,**  
REGNI BORUSSIAE ET ELECTORATUS  
BRANDENBURGICI HÆREDE &c. &c. &c.  
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU  
ET BENEVOLO FACULTATIS MEDICÆ DECRETO  
IN REGIA AD PREGELAM ACADEMIA,  
**PRO GRADU DOCTORIS**  
SUMMISQUE IN ARTE MEDICA PRIVILEGIIS  
AC HONORIBUS  
Ritè ac legitimè consequendis  
Publicæ Eruditorum Disquisitioni proponit  
**CAROLUS JACOBUS Röser/**  
*Quodlibetacens. SAXO.*  
Die 18. Octobr. Anni MDCC III.  
IN AUDITORIO MAJORI,  
Horis ante & pomeridianis.  
—  
REGIOMONTI,  
Typis FRIDERICI REUSNERI, SAC. REG. MAJ. & ACAD.  
Typogr. Hæredum.

DISPENSATIO - INSTITUTIO  
ANATOMICO-MEDICA  
DE  
A  
**DEO**  
**PATRIÆ**  
**PARENTI**  
**PATRONIS**  
AC  
**AMICIS.**

## §. I.

**D**elicatissimam pariter ac nobilissimam corporis humani partem esse Oculum, ne is quidem cui lumen ademptum, inficias ire fortè præsumet. Anatomicos sanè ac Medicos tantùm non omnes artificiosa ejus structura in summâ tenet admiratione, hinc est quod tûm Veteres, tûm Recentiores in partibus ejus evolvendis maximoperè desudârint. Quodnam enim membrum oculos omnium magis in se convertit, quâm oculus? *Speculum* appellat Excell. Rivenus (a), *Cameram Obscuram Opticorum* illum nominat Doctiss. Ettmüll. (b), *naturalem* vocat Celeberr. Sturmius (c), *Vivam* imò *microscopium naturale & tubum opticum geminatum* dicit eruditissimus Wedelius (d). Naturale autem hoc artificium post homines natos obscuræ Cameræ vicibus perpetuò defunctum, multâque providentiâ in futuros usus elaboratum variis atque nulli arti imitabilibus prærogativis Cameram Obscuram antecellit artificiam. Vid. Sturm. (e). Proinde rectè reprehendit cit. Sturmius (f) Jacobum Zabarellam, quod (g) cœcō jaffeatu ductus eò devenerit, ut id egregiè factum in Aristotele suo laudaverit, quod accurata oculi constructionis descriptio apud illum nullibi reperiatur. Excusare quidem Summum Philosophum hâc in parte conantur ingeniosissimus Scaliger (h) & oculatissimus Plempius (i), verùm eorum rationes rem omnem exhaustire non videntur.

## A

## §. II.

- (a) *in Diff. de Visu* §. 17. 18. (b) *Synops. Institut. Medic. T. I. p. m. 13.*  
*& Colleg. Pract. T. II. p. 789.* (c) *Mathes. Juven. T. II. Scient. Optic. p. 10. seqq.* it. D. Reisel *Observ. CXL. Dec. I. Ann. 9.* (d) *Eph. Germ. p. 315.* (e) *Physiolog. Reform. C. XI. p. 361. 363. Conf. Bohn. Cire. A. Ph. p. 422.* (f) *l.c. Sect. I. cap. 4.* (g) *in Prefam. Scient. Optic.* (h) *Lib. 1. de Visu* cap. 8. (i) *Comment. in I. Histor. anim. text. 72.* (j) *Ophthalmograph. Lib. I. C. 6.*

§. II. Miris autem modis exstructam hanc machinam variè etiam lœdi posse, variisque oculum humanum obnoxium esse periculis, quotidiana nonnunquam testatur experientia. Hæc enim infelix hōc locō rerum Magistra modò hanc, modò illam Organi hujus partem peculiari quōdam morbō labefactatam sistit. *In palpebris* quippe occurrit inflammatio, Coalitus, Emphysema, Hydatis, Trachoma, Psorophthalmia &c. *In ciliis* Hordeolum seu *ξεῖν*, Grando, Madarosis, Phthiriasis &c. *In bulbo* Atrophia, procidentia, strabismus &c. *In membranis* Ophthalmia, Ulcera, Pterygium seu Unguis, Pannus &c. *In nervo optico* Gutta serena, *in Humoribus* Albugo, suffusio, impuritas, aliaque. Ego cæteris relictis inpræsentiarum Epiphoram tanquam non infimum Oculorum morbum paulò ulterius examinandum proposui,

§. III. Quò itaque ordinem hactenus receptum sequar, ab *Etymologia* incipio, ubi non multis immorando morabor cum multis, sed verbō saltem Epiphoram ab Επιφέρεθαι, quod est cum impetu ferri, derivari innuo. Generaliter omnem humorum in quamcunque partem influentium impetum denotat, (quo sensu notante Sennerto (k) Epiphoras uteri & ventris dixit Plinius) præcipuè sanguinis inflammatorum in totum corpus vel aliquam partem. Galenus (l) specialiter & propriè per Επιφορὴν influxum humoris in oculos inflammatorum intelligit. Conf. Blancard. (m) & Bruno (n). Clarisl. Dolaeus (o) Ophthalmiam, Inflammationem Oculorum seu Phlegmonem, Epiphoram, Lippitudinem secundum Celsum, ἴασθναντι, ac eadem putat, sed differentiam sub Diagnosi edisseram. Ettmüllerus (p) Ophthalmiam serosam seu

(k) *Lib. I. Prax. part. III. Sect. 2. c. 46.* (l) *de compos. Medic. secund. Loc. lib. IV. cap. 7. & introduct. cap. 15.* (m) *Lexic. Med nov. p. 260.*  
 (n) *in Castell. Renov. p. 531.* (o) *Encyclop. Chirurg. lib. I. c. X. p. 147.*  
 (p) *Coll. Pract. T. II. p. 648.*

3

seu Lymphaticam appellat, à qua sententia non multum ab-  
ludo, Epiphoram definiens, quod sit Affectus Oculorum s. po-  
tius continua ac involuntaria excretio humoris serosi seu  
lymphæ per oculos, lacrymarum nomine alias venientis,  
plus minus acris, interdum absque inflammatione, interdum  
cum eâ, uti & rubore, pruritu, dolore.

§. IV. Dum *Genus Epiphora excretionem lymphæ continua* dico, eō ipso præternaturalem intelligo, naturalis enim excretio lymphæ per oculos lacrymarum nomine venit, quæ non est continua, sed interdum ex moestitia vel gaudio, vel haustu largiore vel aliò modō provenit, quanquam & in excretione lacrymarum naturali aliquid violenti, hinc ferè præternaturale quid subesse cum Clariss. Brunone (q) utique censem. Dein cum Epiphora excretio continua hinc præternaturalis sit, eam ad tertiam Classem Symptomatum, Excernendi scilicet læsi, non solùm quantitate ut Cl. Bruno (r) habet, sed & qualitate peccantis pertinere satis patet, acre-  
dō enim plus minus acris lymphæ huic oculos infestanti in-  
est. Tandem *involuntaria excretio* audit, quod itidem indi-  
cat, præternaturalem esse affectum ac morbosam constitutio-  
nem in nobilissimo oculi artificio. Hoc itaque artificium  
ut paulò intimius inspiciamus & accuratius lustremus, cum  
*Subjectum* nostri affectus constituat, operæ pretium esse fir-  
miter puto, præsertim cum & Anatomicam inscripserim Dis-  
putationem hanc, hinc magis explanatam Oculi humani  
dare anatomiam me nec pigebit nec poenitebit.

§. V. *Oculi ab oculando vel occultando* diēti sunt instru-  
menta visus, & quidem ob perfectionem visionis numerō  
duo, obiectum tamen unum semel tantum videt uterque non  
duplex, quod quomodò fiat explicat Guilielm. Briggs (s),

A 2

Tau-

(q) *Dogm. Medic. Gener.* p. 97. & 794. (r) *I. c. p. 280.* (s) *in Nov;*  
*vision. Theor. p. m. 208.*

Tauvry (t), & præ cæteris Sturmius (u), qui tamen unà cum Bohnio (x) dubia quædam contra novam illam theoriam Briggii non sine ratione movet. Considerandi autem sunt oculi quoad partes externas & internas. *Hæ* sunt, quæ orbitæ includuntur, ac oculi bulbum constituunt. *Ille* oculos tuentur & contegunt. Ab *externis* initium facturus, Supercilia atque Palpebras recenseo. *Supercilia* semicirculari arcu ab angulo interno ad externum obambulant, suisque extremitatibus à naso ad tempora spectant. Ex pilis, cute densâ & durâ, partibusque muscolosis ac pinguedine componuntur, ac defluentes à capite & fronte humores aliaque incongrua arcent, eorumque prominentiæ nimia luci inserviunt retundendæ.

§. VI. *Palpebræ* extimæ oculorum vestes secundum Wedelium (y), exterius quidem tenellâ & laxiori cute *cavum superius* constitente; interius membranâ quâdam à Pericranio deductâ, lævi & admodùm tenui *inferius* *cavum* formante interjectis quibusdam musculis horumque nervis ac vasis obteguntur. *Geminæ* sunt numerō, *una superior* in homine mobilis, (utpote quæ tantâ celeritate movetur, ut quilibet perniciissimus motus soleat cum oculi nictu comparari), *altera est inferior*, motu obscuriore prædicta. Utriusque palpebræ circumferentiam tenuissimis fibris ambit *Musculus Orbicularis*, utramq; palpebram constringens ac claudens, quamvis superior musculò propriò *Elevatore* seu *attollente* diō adhuc gaudeat. Palpebrarum extrema cartilaginosa figuræ semicircularis *Tarsi* vocantur, horum utrinque concursus *Canthus* seu angulos constituit. *Canthus interior* qui ad na-

sum,

(t) in *Nov. Anatom. Part. II. cap. VII.* p. 336. (u) *Mathef. juven. T. II. Scient. optic.* Seſt. I. cap. IX. quæſt. I. & cap. XI. quæſt. II. ſeqq. (x) *Circ. Anat. Physiol. Progymn. XXVII* p. 434. (y) *Obs. I. dec. I. Ann. z. Eph. Germ.*

sum, major dicitur, *exterior* ad confinia temporum vergens, minor nuncupatur. Tarsi præfati in externa parte plurima exigua recondunt foramina, ex quibus Pili *Ciliorum* nomine venientes prodeunt. Tandem hi jugiter servant prolixitatem & magnitudinem, gratamque oculis umbram offudentes, & volitantia per aërem corpuscula arcentes, visui inserviunt. In eādem parte externā utriusque palpebræ tūm superioris, tūm inferioris propè Canthum majorem duo foramina in viventibus adhuc hominibus apparentia occurunt, quæ *puncta lacrymalia* vulgò nominantur, atque sunt hiatus sacci seu ductus lacrymalis in cavitatem nasi sese exonerantis. Similiter duo foramina patentia in angulo externo annotat Aquapendens (z) & post eum Dominic. de Marchettis (a), quæ eundem dicit tenere ordinem, sicut ea, quæ sunt in angulo interno. Conf. Epist. Meibom. ad Dn. Langelott. (b) data, & Th. Barthol. (c). De quibus tamen foraminibus cum omnes ferè reliqui Anatomici taceant, & ego tacere malo. In internā verò Tarforum parte superioris inferiorisq; palpebræ offenduntur *exilia ductuum quorundam peculiarium ostia*, quorum inventionem Celeberr. Meibom. debemus, quæque ab ipso in Epistol. Doctiss. ante cit. fusi explicantur. Quamvis Borrichius eōdem forsan tempore censente Bartholino (d) ductus tales *hygrophthalmicos* dictos observaverit.

§. VII. *Glandula Oculorum* insigniores sunt duæ: *Prima* in angulo interno *Caruncula lacrymalis* vulgò dicta figuræ oblongæ ipsis oculis conspicua. Hanc equidem glandulam negant Dn. dy Vernay (e) & Petr. Dionis (f) Anatomici Parisienses, & saltem productionem, saccum ac

A 3

coi-

(z) *Lib. de oculis Part. I. c. 13.* (a) *in sua Anatom.* (b) *de vasis palpebrar. novis.* (c) *Anatom. renovat.* (d) *I. c p. 512.* (e) *secund. Taurry Anat. Nov. p. 315.* (f) *Anatom. p. 370.*

coitionem inferioris palpebrarum membranæ autumant, sed cum æquè ac aliæ glandulæ aliquid secernat humidi ad irrigandum oculum, testantibus omnibus ferè Anatomicis pro glandulâ vel glanduloso ductu utique admittenda erit, nec ratio quam habet du Vernay si glandula hæc foret, perpetuò lacrymantes oculos habiturum hominem, tanti est momenti, ut negari debeat, præsertim cum ex hac duo træve lymphæ ductus in palpebræ superficiem dehiscant notante D. Verheyen (g) oculi globum irrigantes. Conf. D. Briggs (h). Altera Glandula innominata (potius καὶ ἐξοχὴ lacrymalis dicenda ob abundantiam lymphæ quam advehit) subter superiorum palpebrarum oculi tergo incumbens, ab angulo minore ad majorem ferè exporrigitur magnitudine satis conspicuâ, superius rotunda, inferius in plures quasi lobos & interstitia divisa, è quibus singulis notante Stenone (i) lymphæ ductus s. vasa excretoria prodeunt; quæ tunicam palpebrarum interiorem exiguis foraminibus propè Cilia trajiciunt, & humorum quendam unâ cum triginta illis vel pluribus canaliculis à Meibomio inventis, adveniunt, ut palpebrae oculique globus ob continuum utriusq; motum facilitandum debitè irrigentur, & superfluum per puncta lacrymalia absorbeatur, ac ad nares deducatur: quod si ex variis causis præsertim pathematibus animi affluat humor copiosius, quâm punctis illis per canalem nasalem abduci queat, extra orbitam oculi fluit humor, ac lacrymarum nomine venit. Quomodo verò Lacrymae prodeant ac effluent plura vid. in Tauri (k) it. Gvilielm. Briggs (l).

§. VIII. *Partes Oculorum internas constituant Pinguedo, Musculi, Membrane, Humores atque Vasa.* Pinguedo aliqua

(g) *Anatom. C. H.* p. 367. (h) in *Ophthalmogr.* p. 110. (i) in *Obs. Anatom. de Glandul. oculor.* (k) *I. c.* p. 317. 318. (l) p. 115. & seqq.

7

qualis & interdum satis conspicua reperitur in spatiis muscularum vasorumque circa nervum opticum. Hæc pinguedo oculorum orbes molli amplexu non minus fovet, quam etiam oleaginosâ lubricitate circumgyrationi promotibus sustinendis necessariæ aptiores reddit ac promptiores.

§. IX. *Musculi oculorum sex, Attollens, Deprimens, Adducens, Abducens ac duo Circumgyratores* ab officio omnes sic dicti, satis decantati sunt, nec in eis singulare quid controversi reperiatur, hinc reperiuntur apud omnes Anatomicos. Quamobrem ad Tunicas potius Oculorum retexendas proprio.

§. X. In earum numero assignando maximè scinduntur in partes Autores. Aliis enim tres vel quatuor sufficiunt aliis ne sex, septem vel octo satisfaciunt. Anatomia igitur in auxilium vocanda erit, quæ primam sistit *Tunicam Adnatam*. Hæc originem pericranio debet, ad regionem Iridis terminatur, venulis & arteriis plurimis in Ophthalmia saepe conspicuis donatur. Usus ejus est, ut oculum tūm Orbitæ & interioribus ossibus, tūm palpebris conjungat, inque suo thalamo stabiliat. Altera tunica innominata s. *Tendinea* non nullis dicta, cum nihil aliud sit, nisi tendinosa muscularum expansio, tunicae nomen vix mereri videtur. Lindenius tamen (m) agnatio, inquit, ad natæ ad innominatam, & hujus ad Corneam fecit, ut pro unâ habuerint, qui neq; separandi dexteritatem, neq; cognitionem originis earum habuerunt. De usu interim conf. Plemp. (n). Tertia huic subjicitur *Cornea* s. *Sclerotica* dicta, quam id esse pupillæ, quod cutis corpori Lindenius (o) asserit. Pars ejus anterior *Cornea* dicitur, quod instar lœvigati & politi cornu pellucida sit. Originem duce creditur ab exteriori nervum opticum succingente membrana,

(m) Medic Physiolog. lib. 4. c. 10. artic. 4. p. 471. (n) Ophthalm. Lib. 3. c. 6. (o) l. c. p. 477.

brana, duræ meningis sobole, licet diversam ab illa substantiam obtineat. A posteriore parte opaca est & crassa unde ipsi *Scleroticae* nomen. In tres lamellas dividi posse Briggs (p) asserit. Consentit Thom. (q) & Casp. Bartholin. (r). Usum Cornea, quæ diaphana, est, visibilium specierum commeatum admittere; quæ v. accurate polita est, facit, ne rerum formæ deformiter oculi cameram ingrederentur, quæ densa, diversum ab aëre medium constituit, speciesque radio obliquo incidentes ad perpendiculum refringit. *Scleroticae* proximè subjacet *quarta tunica*, *Uvea* à colore uvarum simili dicta quoad partem anteriorem, posterior enim dicitur *Choroides*. Quod ansam Doctiss. Mersenno fortè dare potuit, ut diversas tunicas fecerit (s), quæ tamen non nisi una est, diversa licet sortiatur nomina. Communiter pro tenuis meningis propagine hæc tunica habetur, intus atrō pigmento seu mucagine quādam nigricante oblita conspicitur, quæ nigredo visionem distinctiorem reddit. *Radios* enim, inquit Cartesius (t) qui ab oculi fundo ad interiorem oculi partem reflectuntur, obtundit, obtenebratque, & impedit, ne inde oculi fundum revertentes, ibidem radiorum confusionem causentur. Alium hujus nigri coloris usum habet Briggs (u) saepè laudatus. *Uvea* hæc tunica anterius in medio perforata foramen quoddam relinquunt, quod *pupilla græc.* κόπη dicitur, ipsum v. simulacrum puppa s. pupula vocatur. Pupilla hæc in homine rotunda est pro commodiori specierum visibilium supra & infra & in utroque latere advenientium admissione. Mobilis etiam est, & pro diversitate objecti magis minusve lucidi aut eminus minusve positi, modò dilatatur mo-

(p) *Ophthalm.* p. 41. (q) in *Anatom.* *Renov.* lib. III. c. 8. p. 515. (r) in *Specim. Histor. Anat.* c. 6. §. 4. p. 145. (s) *Coptic.* lib. I. part. 3. (t) *Lib. de Homine* p. 49. (u) l. c. p. 46.

dò constringitur ope ligamenti processuumque Ciliarium,  
 quibus mediantibus humor crystallinus eidem nunc proprius  
 adducitur, nunc magis ab eadem elongatur. Pupillæ huic  
 circulus quidam variegatus instar fimbriæ circumducitur,  
*Iris* dictus, quæ juxta alios sextuplex, aliis ut Plempio &  
 Ruyshio triplex circulus existit, & l. cœrulea, l. cœlia, l.  
 nigra evadit. Causam diversitatis colorum inquirit Briggs  
 (x). Dum ante 2. annos Amstelodami commorarer,  
 vidi puerum quandam 8. vel 10. circiter annos natum, in  
 cuius dextra iride cœrulei coloris ( si rectè memini), hæc  
 verba : DEVS MEVS distinctè satis legi poterant. Cæte-  
 rūm Iridis hujus circulus à filamentis quibusdam ex uvea  
 productis efformatur, quæ dum pupillam in circumferentia  
 Cornea tunicæ annexunt, ligamentum Ciliare constituunt,  
 dehinc vero versus prominentem Crystallinum humorem  
 excurrentes, lineolis suis atris huic impressis processus Cilia-  
 res vocitantur. Quam utilitatem iris præstet, Anatomicos  
 adhucdum latet. Ab interiori parte tunicae Choroidis la-  
 mellam quandam peculiaribus arteriis præditam separari  
 posse observat Ruyshius, eamque *Tunicam Ruyshianam* no-  
 minat (y), quam tamen tunicam negat reperiri Celeberr.  
 Dn. Joh. Jacob Rau, Præceptor olim in Anatomic. summo-  
 perè suspiciendus, qui (z) eam *ex erroneâ preparandi me-  
 thodo ortam esse* contendit. Verum hanc litem non facio  
 meam. Succedit jam *tunica Retiformis vel Retina*, à certo retis  
 genere, vel vasorum illam perreptantium copiâ sic dicta,  
 ex flaccidis staminibus fibrisque medullaribus nervi Optici  
 seu medullosâ ejusdem substantiâ originem sumens, nervi  
 optici expansio rectè dicitur. Expanditur autem supra hu-

## B

mo-

(x) *Ophthal. p. 48. & seq.* (y) *in Epist. Responsor. de Oculor. tunic.*  
 (z) *in Epist. Respons. ad defensionem Frid. Ruysh: pro Septo Scritip. 12.*

morem vitreum ad ligamentum usque Ciliare , ejusque limbus circa inferiorem crystallini humoris marginem subsistens , inferiori Iridis orae contigua est , eique aliquatenus cohæret . Usus ejus videtur rerum externalium species coloresque per humorem crystallinum transmissos cum luminiis aliqua motiva impressione conjunctos suscipere , expressosque in ipsa per Spiritus animales ad cerebrum usque indubiam mentis sedem continuare , eiq; externorum visibiliū apprehendendorum occasionem suppeditare , adeoque proprium proximumque visionis esse organon , quod eodem modō imò melius se habet ac in Camerā Obscurā artificiali charta alba foraminī fenestræ opposita , externè illabentium rerum imagines sistens atque efformans , ceu fusijs id Plempius exponit (a) , Lindenius (b) , in primis Cartes. (c) item Sturmius (d) . Tunica sexta s. Crystallina à Retina originentur siam ducens , humorem crystallinum obvolvit . Alii hanc tunicam negant . Contra Jul. Casser. (e) ego , inquit , hanc ab ipso crystallino separatam etiam oculis conspiciendam exhibui . Clar. Linden. duplē facit , superiorem , quam vocat Araneam , & interiorem ipsi Crystallinam dictam . Nullis visibilibus vasculis sanguiferis ditata est . Supereft septima tunica virea scil. , quæ albā est , translucens & lœvis , exilibus quibusdam fibris contexta , quæ tūm se produnt , quando tunica hæc discepitur & laceratur . Vitreum humorē undique cingit , ne diffundat , aut cum aqueo confundatur .

§. XI. Humores oculorum tres sunt , eorumque primus & anterior fluidus maximè reliquisque tenuior , Aqueus vocatur , illudque spatiū occupat , quod est inter tunicam corneam &

(a) Lib. 2. c. 19. & l. 3. c. 12. (b) Medic. Phys. c. 10. art. 6. § 29. (c) Dioptr. c. 5. (d) in Scient. Opt. Sect. I. c. 2. §. 5 p. m. 13. it. in Colleg. Curios. part. 1. Tentam. 2. (e) de Organ. Visf. Sect. I. c. 36.

crystallini sedem anteriorem, non autem vitro circumfunditur prout vult Dn. Verle (f) item Riolanus teste Dimerbroeck (g). Quantitas ejus saltem trium vel quatuor gutterum à Plempio (k) nimis parca fortè assignatur. Scaturiginem illius & perennem affluxum à peculiaribus ductibus arcessit Cl. Nukius (i), Casp. Barthol. tamen (k) illos saltem vasa sanguifera esse credit; Accuratisſ. Verheyen (l) controversiam hanc in mediō adhuc relinquit. Impedit hic humor, ne partes oculi nimis arescant, neque splendores nimis vividi partes ejus laedant. *Secundus humor est Crystallinus*, in circumferentia laterali figuram obtinet circularem, quæ posteriore parte est rotundior, anteriori depressior, quam tamen figuram pro variâ obiecti distantia variè mutari credunt non nulli. Succedit tandem *tertius humor*, à colliquati vitri similitudine *vitreus* dictus, anterior planior est sinumque habet, in quo crystallinus collocatur. Hujus ut & praecedentis usus videantur in Opticis. Cons. etiam Verheyen (m).

§. XII. *Vasa oculorum arteriosa* à Carotidum externæ & internæ ramis oriuntur, ipsisque respondent *venæ* à magnis jugularium ramis prodeentes. Curiosiss. Ruyshius (n) nova vascula sec. longitudinem decurrentia lymphaticorum æmula in Corneā aliquando sibi videre visus est, quæ probabiliter putat humorem aqueum per ductum Nuckii adductum reducere.

§. XIII. *Nervorum paria* duo oculos saltem recipere veteres ajebant sec. vulgare: *Optica prima*, oculos movet altera &c. Ab illo tempore verò corporis humani descriptio multum immutata est. Statuit enim hodiè oculos reci-

B 2. in lib. 2. pere

(f) *Obs. CXXC. Ann. 9. & 10. Déc. 1. Eph. Ger. 17. p. 540.* (g) *Anat. lib. III. c. 17. p. 43.* (h) *L. c. lib. 1. c. 16. p. 43.* (i) *tract. lectu dign. de ductib. Oculor. aquos.* (k) *Analect. Observ. Anat. VI. p. m. 219. it. Spec. H. A. c. 6. §. 4. p. 148.* (l) *Anat. Tract. IV. c. 14. p. 377. seq.* (m) *I. c. p. 381.* (n) *Epiſt. cit.*

pere secundum, tertium & quartum nervorum paria integra, & quosdam quinti & sexti paris ramos. Omnes hi nervi ex Cerebri Medullâ oblongatâ egressi variis oculi partibus implantantur. Sed hæc de Oculorum anatomia sufficient.

§. XIV. Conspectâ fabricâ Oculi artificiosa ad Speciale Subjectum Epiphoræ devenio. Fons itaque ac sedes perpetuò exstillantis s̄eri sunt glandulæ ac ductus aquatice palpebrarum modò dicti à mox nominandis causis irritati ac vexati. Veteres quidem Cerebro omne malum in ejusmodi casibus adscribabant, & caput munere alembici cucurbitæ impositi fungi putabant, & hinc humores per Calvariam destillantes accusabant, quemadmodum & Diemerbroeck (o) id facit. Ast Recentiores Anatomici errorem illum vel oculari inspectione redarguunt, præsertim Schneiderus (p) sat animosè, nihil ex capite per Os cribrosum dictum destillare posse, demonstravit. Quamobrem sicut in aliis partibus operam secretionis lymphæ solæ glandulæ præstant, sic & in oculis lacrymalis lymphæ percolationem glandulosa cribra efficiunt, nec est quod membranas saltē omnis percolationis autores deprædicet Schneiderus, cum eadem membranæ Ejusdē permultis sint refertæ glandulis. Quando igitur medi-antibus arteriis Carotidibus affertur sanguis, & insimul lympha cum eo, hæc partim per glandulam minorem in oculi Cantho majori sitam, Carunculam lacrymalem dictam parum tamen, partim per glandulam majorem (innominatam vocatam) prope externum angulum in parte superiori reconditè mg. existentem, (quam glandulam Musculi naturam habere oculosque attollere Vesalius licet meliora edocitus à Fallopio, falso credit) uti & per glandulosos ductus in palpebris à Stenone ac Meibomio præsertim observatos secernitur ac

(o) Anat. I. 3. c. 15. (p) in libr. de Ossे Cribriformi.

per-

colatur, inque duclis excretorios ultra triginta à Meibomio numeratos ad oculi superficiem hiantes demandatur ac ex-cernitur, ut naturaliter irriget oculos, si verò uberioris affluat, quām iterum per puncta lacrymalia absque sectione visui patentia abduci queat ad nares, tunc extra orbitam oculi fluunt, lacrymasque constituunt, quae copiosæ maximè ac involuntariæ si adfuerint, insimul sape acredinem in se haberint, Epiphoram dictam constituunt.

§. XV. *Causa efficiens & quidem proxima* (1) plerumq; est *lympa acris* glandulas oculi vellicans ac irritans ad expetuendam continuò humiditatem hanc oculos ac genas irrigantem. *Sangvis* enim noster præcipue ex duabus partibus integralibus componitur, alterâ limpidâ ferosâ s. lymphaticâ, alterâ rubrâ, hæc instar globulorum rotundorum in illâ natat, uti oculatiss. Leeuwenhoeck (q) & Bohnius (r) Microscopiis suis accuratissimis id conspexere. Illa autem limpida s. ferosa sanguinis pars, *Sangvis albus* Hippocrati (s) *latex* Helmontio, *aqua vulgo* aut *serum* dicta, in duas iterum partes rectè dividitur, utilem scil. ac minus utilem s. excrementitiam; *Utilem* constituunt chylosæ ac gelatinosæ particulæ nutritioni partium corporis destinatæ, uti & aquosæ quædam ad facilitandum motum humorum aptæ; quamquam & illis quasdam salinas, feras, acidæ & sexcenta alia secundum Hippocratem (t) inesse etiam in statu naturali non negaverim. Cæteræ autem aquosæ particulæ cum multis salinis ac quibusdam aliis excrementitiam ac inutilem seri sanguinis partem constituunt, ac sub nomine Urinæ, sudoris, sputi, naturaliter quotidie excernuntur. Hæc inutilis pars seri s. lymphæ lacrymas maximam partem constituit, (unguinofsum quid tamen etiam subesse lacrymis non repugno,

B 3 præ-

(q) *Arcan. natur. p. m. 3.* (r) *Circ. A. Phys. p. m. 200.* (s) *de Glan-*  
*dulis.* (t) *vel qui autor est Libri de veteri Medic. XXIV. 20.*

præsertim cum in lemas concrescere possit) earumque continuum ac involuntarium copiosum effluxu n̄ efficit, si ex quacunque causâ prægressâ acredinem acquisivit, quam tamen ut plurimum salinæ particulae præ cæteris abundantes efficiunt; hæ itaque falsæ ab utraque parte acuminatæ in lympha natantes particulae unâ cum sanguine circulantes deveniunt etiam ad oculos, ubi restitantes quodammodo aut segnius ibidem circulantes, oculos irritant ac vellicant, ut vi ac confertim limpidum humorem continuo stillent. Quanquam igitur plerumque acredinem adesse præsupponam, interim minorem acredinem interdum etiam esse, lumbens concedo. Et (z.) nimis abundantem saltem lympham (minus acrem) ad oculos ruentem in causâ esse puto, ut oculi continuo plorent, præsertim si in aliis partibus corporis nostri, ex quibus lympha hæc naturaliter excerni debet, ut in poris corporis, renibus &c. obstrunctiones fortiores adfuerint, hinc ad delicatissimas oculi membranas glandulosas, ubi minorem inveniunt resistentiam copiosi lymphatici humores copiâ peccantes, quâ datâ portâ ruant, hoc forsan vitium *illacrymatio* melius audiret. Nominatae duæ Causæ proximæ lympha scil. vel qualitate peccans, hinc acris lympha, vel quantitate, hinc copiosa saltem irrigatio oculorum, dicto modò *Epiphoram absque inflammatione* efficiunt; ast si eadem lympha valde sit acris aut diu subsistat in glandulis oculi, hinc acredinem majorem contrahat (nam

*Capiunt vitium, ni moveantur aquæ,*)

mox in celerrimum motum abeunt particulae ibidem, ac ita rotantur, ut *inflammatio* insimul accedat, si inflammatio, consequens ejus erit *rubor*, cum v. acuminatæ sint ibidem commorantes particulae, *dolorem*, quem saepè pruritus vocamus, inferunt, quamvis *pruritus* magis comitetur, si salia sui juris, nec multum lymphæ adsit.

§. XVI.

§. XVI. Causam Epiphoræ etiam constituit, licet lympha naturaliter fuerit constituta (3.) *nimia glandularum lacrymas plorantium laxitas*, quando undecunque nimis spongiosa ac flaccidæ redditæ fuerint per continuum afflum naturalem humoris aquatichi, vel etiam serosi nutritis, unde per patula nimis foramina vitiatae glandulæ lympham continuo elabi finunt, nec reducitur in tantâ copiâ lympha, uti alias naturaliter debet; quod malum senibus plerumque familiare est & morientibus, illis quidem ob nativam jam ratione ætatis imbecillitatem, dum quasi detrita glandulæ lacrymas facile demittunt; his verò ob summam prostrationem virium, Spirituumque defectum, hinc glandularum flacciditatem, unde *sponte illacrymari in acutis morbis periculosum est* juxta Hippocratem (u). Sed & Epiphoram incurrere, oculosque semper lacrymantibus quis habere poterit, si (4) *vixum aliquod glandula in interno angulo sita adfuerit*, quando scilic. aut planè aut ex parte periit, s. Chirurgi ibidem operantis incuria absissa, s. ab acribus humoribus exulcerata & exesa fuerit, quanquam effectus oculi ex defectu glandulæ istius propriè *Rhyas* vocetur, uti sub Diagnosi exponam. Non tamen defectus hujus glandulæ tantum affluxum ad oculos concitare potest, sed potius propter erosa & partim coalita iterum vasa illa, quæ ab oculis ad nares abducere debebant, lacrymæ copiosæ extra orbitam fluunt, item dum exulcerata est caruncula lacrymalis, pus acre irritare fibras sensibiles membranarum oculi, & fluxum eō modo concitare potest.

§. XVII. Inter *Causas Procatarréticas Non-naturales* dietas Epiphoræ anam præbentes (1.) se sifit aër, qui nebulosus vel aliis effluviis acrioribus scatens, ipsos oculos irritare

(u) *Popul. VI. Sect. 1. 42. Conf. Popul. IV. XXVII. 12.*

tare, siveque causa proxima saepe fluxus lacrymalis existere potest, item venti vehementius oculos percellentes, hali-  
tus quoque ac fumi acres, pulverulenta quævis aliaque res  
externæ asperæ stimulantes, oculis illapsæ facile magnum  
ad generandam Epiphoram pondus addere possunt. Ex  
communi quoque aëris vitiō aliquando latius disseminari  
Epiphoram, multisque una correptis naturam & genium  
Epidemiorum æmulari scribit Celeberr. Meibomius (x). Ro-  
sarum odorem cuidam Mercatori semper induxit pruritum  
Oculorum cum inflammatione ac lacrymis involuntariis re-  
fertur in M. A. N. C. (y). (2) *Cibus & Potus* catarrhis origi-  
nem præbentes Epiphoræ Causæ Procatarræticæ existere pos-  
sunt, præsertim lacrymosa cæpa, sinapi aut haustus insignis  
sæpe reiteratus, potus nimius vini accidi; Nuclei malo-  
rum persicorum comedti, quod Rhodius (z) testatur, qui  
in se ipso Epiphoram ex comedione malorum persicorum  
expertus est. (3.) *Motus & Vigiliae* nimia sangvinem lym-  
phamque in majorem motum concitantes, ut cum impetu  
ruant ad oculos, non lævem præbent occasionem. Hinc  
etiam qui lucubrationibus nocturnis nimium sunt dediti, ad  
candelæ lumen legendò minutas literas defixis in libros o-  
culis tensione nimia non bulbos solùm, sed & Musculos o-  
culorum & palpebrarum motum fatigant, tremoremque  
quendam eis ac dolorem inferunt, hincque lacrymarum flu-  
xum patiuntur. (4.) *Somnus* quoque & quies nimia humo-  
res viscidos & ad motum pigros reddunt, hinc stagnantes vi-  
tiumq; crassitiem nempe ac acredinem morâ suâ contrahen-  
tes, ad oculos demandati vellicationis oculorum causæ exi-  
stunt. (5.) *Excreta naturalia*, Sudor, Urina, mucus, spu-  
tum &c. ordinariō modō non procedentia, sed ex vitiō ac  
ob-

(x) in Exercit. de fluxu humor. ad ocul. natur. & præternat. §. 41.

(y) Obs. 140. Ann. II. Dec. II. Eph, Ger. (z) Obs. 80. Cent, I. p. 43.

obstructione pororum in partibus suis subsistentia, mirum quantum sablevent inordinatum ad oculos fluxum. (6.) In primis *Animi affectus* plenō agmine Epiphoram concitant, hinc irati præ irâ spumant ac illacrymantur, si vindictâ potiri nequeunt, diuturnis affecti mœroribus lacrymis modum non statuunt, sed Epiphoram accersunt. Medicamenta insuper ac Chirurgica præsidia malè adhibita fluxum immoderatum lacrymarum producunt, ut acria externè oculis ineptè applicata, ut Euphorbii pulvis oculis boum insufflatis lacrymas copiosas elicit, usus etiam nimius separum, sinapi externè manibus tractatorum, errhina ac sternutatoria imprudenter adhibita aliaque, præsertim topica poros inviscantia ac conglutinantia, cauterisatio fistulæ lacrymalis malè instituta, quando ductus anguli interni lœduntur, ut per vasa lacrymarum salivam ut loquitur Plinius (a) adducentia oculus continuò irrigetur, per meatus autem hos lœfos abduci iterum nequeat, hinc necessariò sub lacrymarum formâ lympha effluit copiosa. Quin imò & ex aspectu aliorum oculorum Vitiatorum vitium contrahere posse oculos, non adeò repugno, qnod alii fascinationi adscriberent, potius

*Dum spectant oculi lœfos lœduntur & ipsi,  
Multiq[ue] corporibus transuione nocent.*

§. XVIII. Res præternaturales etiam, Morbi scil. prægredientes ansam ac causam conciliant affectui quem explicco, uti soepius *Variole* malè curatae effluxum involuntarium lacrymarum inducunt, dum scil. aliquid acris materiæ in minutissimis glandularum vasorumque oculi canaliculis remanet, postmodumque ex leví irritatione vel quacunque alia occasione sui juris facta scindendō, vellicandō, irritandō molestias creat, atque humorum fluxui repagulis solutis fores patefacit, qualia exempla saepe recidivantis Epiphoræ ex ma-

(a) *Lib. XI. H. N. C. 36.*

le tractatis variolis adducit Lipsius (b) notante Ettmullero (c). *Pkthiriasis* quoque Causa Epiphoræ esse potest, quando pediculi palpebras infestant, ac morsiusculis suis lacrymarum fluxum producunt, dilatandō scil. ostiola illa ac excedendō siccus exulcerandō. *Catarrhos* in primis Epiphora insequuntur aut comitari solet, quando lympha acida salsa in corpore abundans ad oculos quoque movetur, eosque rodit ac vellicat, unde pruritus, immo palpebrarum exulceratio, pruritum lymphæ effluxus magis magisque insequitur, adeò ut saepe in cœcitatem terminentur Epiphoræ catarrhales, exponente & declarante id Ettmullero (d). *Apoplexiam* quoque lacrymæ copiosæ insequuntur. *Hereditaria* insuper dispositio multum ad Epiphoram contribuere potest. *Contagiosum* quid aliquando in Epiphora praeter Meibomium (e) & Dolaeus (f) in se ipso observavit, ubi infantis oculum ophthalmiam laborantem manu palpasset & eadem manu oculos fricasset, in eundem incidit affectum.

§. XIX. *Differentias Epiphoræ* vix quæ alicujus momenti sunt, invenimus, nisi quod Epiphora alia dicatur *calida*, quæ à multâ acredine præditâ lymphâ provenit, ac modò pruritum molestum, modò ardorem ac dolorem oculis infert; *alia frigida*, quæ lympham minus acrem, magisque aquosam sequum vehit, nullamque ferè molestiam, nisi cerebram sui astersionem exhibet, visionem turbat in quantum illacrymatio id facere potest; Cœteras ut minus necessarias silentio præteribo.

§. XX. *Diagnosis* autem potius docet, quomodo Epiphora à cœteris oculorum affectibus, similitudinem quandam cum Epiphorâ habentibus, differat. Ipsius enim Epiphoræ Signum Diagnosticum lacrymæ scil. continua ex caruncula

(b) tract de variolis. (c) T u. p. m. 649. (d) L. c. p. 650. (e) in Diff. cit. §. 41. (f) Encyclop. Chirurg. p. 158.

lā & palpebris affectis, oculis satis patet, ast cum lacrymæ & in aliis oculorum affectibus occurrant, quomodò ab eis differat Epiphora, videndum. *Ab Ophthalmia* itaque differt, quod hæc sit vitium tunicæ adnatæ in inflammatione, dolore, rubore ac illacrymatione consistens, imò interdum & cæteras partes invasit sub Ophthalmia inflammatio; sub Epiphora autem sit vitium in glandulis præsertim majori in externo, & minore in interno angulo sitis, ac ductibus adducentibus præsertim Meibomianis. Dein in Ophthalmia sanguis ipse rubicundus, in Epiphora Serum sanguinis seu lympha peccat. Si à solâ exesione, exulceratione aut absumptione carunculae lacrymalis lacrymæ prodeunt, *Rhyas* dicitur affectus, ast Epiphora & à vitiō ipsius lymphæ provenit. *A Phlegmone* seu inflammatione differt, quod ista interdum saltem adsit in hâc. *A Lippitudine*, quia hæc secundum Blancard. (g) est asperitas quædam intra oculos, ac si arena esset inspersa, quæ tam in Epiphora vix invenitur.

§. XXI. Jam ad *Prognosin*. *Epiphora inveterata* & quæ à primâ ætate coepta, & in diuturnitatem protensa est, difficulter curatur, quæ à carunculâ lacrymali exesâ, ductuque ad nares tendente coalitô provenit in fistulam ægrè sanabilem plerumque abit. *Recens* verò nec altas radices habens sponte sanatur, si removeantur eam inducentia. Hipp. (h) *Quibusunque, ait, in ægritudinibus oculi ex voluntate lacrymantur, bonum; quibus v. citra voluntatem, malum.* Ratione Causæ una Epiphora periculosior est alterâ, si scil. lacrymæ tenues at acres, falsæ ac corrosivæ exeunt, periculosior est Epiphora ac totalem Ophthalmiam inducit, difficiliorque curatu, quam si subdulcis, insipida, sine acrimonia prodeat lympha. *Si diurna ac acris, Cæcitas tandem insequitur,*

C 2

uti

(g) *Lex. Med. nov. p. m. 377.* (h) *Sect. 8. Aphor. 2. Conf. Prænot. text. II. 20.*

uti Th. Barthol. (i) exemplum cæcitatis à copiosō ferò ex oculis stillante producētæ in medium affert; præcipue, uti addit Hippocr. (k), si capitis dolor accedit. Oculi exstantes ac majusculi læsionibus Epiphorarum magis obnoxii sunt, quām minusculi testante præter alios Dion. (l). Epiphora quæ sit ex lesionē Caruncula lacrymalis, inquit Ettmüll. (m) ferè est incurabilis, uti est pessima, quæ à caruncula quācunque ex ratione ablata oritur; uti facilior est curatu, quæ ab ejus erosione quām excisione. Infantes frequenter lacrymari solent, & quidem sine insigni periculō, quoniam diatā & procedente etate sponte hoc vitium corrigitur, inveteratus autem aut natu majoribus accidens contumacior facile fistulam lacrymalem inferre potest. Idem (n). Plura vid. sub Ophthalmia Prognosi apud Autòres.

S. XXII. Curam ritè aggrediar, si causarum ac circumstantiarum habeam rationem, præsertim cum hæ potissimas indicationes præbeant. Et quidem cum Causas partim externas, partim internas stillicidii serosi perpetui habuerim, ille si oculum hostiliter afficiunt, erunt removen-dæ quanto citius, frustrà enim in affectu tollendō desudamus, aut in visu restituendō anxii hæremus, nisi trabem aut festucam extrahamus. Cum autem plerumque ab atri lympha provenire Epiphoram dixerim, hæc erit potissimum corrigenda, particulæ salinæ, acres diluendæ, involvendæ, obtundendæ, inviscandæ & quoconque modō emendandæ ac eliminandæ, postmodum & specifica quædam topica adhibere conveniens erit. De Universalibus Evacuantibus an hic conducant, primū verba faciam: Vene Sectionem e-

(i) M. A. N. C. Obs. 146. Ann. 2. Dec. II p. 265. (k) Coar. Praenot. 132 p. m. 542. (l) Anatom. Corp. Hum. Demonstr. 8. Sect. II. p. 367. (m) Colleg. Pract. t. II. p. m. 651. — (n) loc. cit.

quidem nec fluxus hic serosus, nec acredo sanguinis indicaret, at indicat tamen eandem, si inflammatio quædam adfuerit in palpebris, corpusque sit plethoricum, aut suppressa sit evacuatio quædam naturalis corporis, interim magis in Inflammatione sanguinea s. Ophthalmia sanguinea quam hac serosa V. Sio conveniret, in illa enim testatur Linde-nius (o), quantum valuerit V. Sio in Chirurgo Amsteloda-mensi, cui dexter oculus fuit inflammatus. Vicariae etiam Venæ Sectionis Cucurbita scil. scarificata ac hirudines s. san-gvisugæ non levem spondent opem in Inflammatione, sed magis sanguinea quam serosa. Ubi contumacior fuerit fluxus acri serosus ad oculos, Vesicatoria Nucha aut pone aures erunt applicandæ, haec enim immediatè magis serum educunt, ac satis proficua esse solent in Emplastri formâ sec. Ludovic. (p), Ettmullerus (q) quoque eorum usum deprædicat, dicendo: *Ut ut Vesicatoria sint remedium saltem palliativum, & medeantur à posteriori, tamen verissimum est, quod multum illa valent, neque ipse credidisset horum fructum adeò insignem esse, nisi ipse eundem vidisset.* Et quidem Nucha applicata juvant sensibiliter, si rectè fluant, quia ibidem arteria Cervicilis se dividit in duas partes, interiorem etiam ad oculum progredientem, & exteriorem circa nucham hinc inde disseminatam, unde Vesicatoria, dum in nucha faciunt dolorem, au-tiorem eò sanguinis promovent fluxum, dum ex ramo hoc interiori fit derivatio quasi ad ramum exteriorem, ut minori impetu ac copiâ sanguis ad oculum affluat. Quibus autem non est cutis sanabilis, facile non convenient Vesicatoria, ut Hydropicis; nam ad Gangranam disponunt. Conf. Doctiss. Baglivius (r). Setaceum quoque in maximè rebelli & contumacissimâ Epiph-

C 3

rà

(o) Super Hartmannum. (p) in Pharmac. p. 337. (q) l.c. p. 651.  
 (r) in lect. digniss. Dissert. de Uso & abus. Vesicant. p. m. 95.

râ materiam peccantem insigni cum Euphorîâ educeret, uti & *Fonticuli* suam spondent opem. In primis autê *Purgantia* per epicrasin laudabilem edunt effectum, cum multum lymphæ educant, hinc revulsionem quasi ab oculis instituant, unde Celeberr. Pechlinus (s) recte scribit: *cum frustrâ diu laboratum topicis ac collyriis, unô sepe purgante totum morbum profligari.* Conf Hippocrat. (t). Sed nec *Sudorifera*, quæ primò loco ponere debuissent, laude suâ sunt defraudanda, hæc enim per poros corporis & abundantem & acriorem lympham eliminant ac discutiendò ac exsiccandò non levem præstant operam, unde decocta Lignorum it. Radicum Chinæ ac Sarsaparillæ tam egregios effectus in Catarrhis ac fluxionibus præternaturalibus edere solent. Eadem svadet Cl. Briggs (u). *Diuretica* insuper eodem jure quô dia-phoretica laudanda, eandem enim materiam ambo ejiciunt hinc millepedes, lumbri terrestres tantoperè commendantur in nostrô casu. Senes nostri in arte Patres tûm Catarrhos, tûm fluxiones ad oculos à cerebrô ferri cum crederent, non solùm pilulis Cephalicis specificis, ut Pilulis Cochiis, Lucis, de Succino Craton. &c. Cerebrum purgare volebant, sed & corrigere, exsiccare ac roborare cerebrum se posse putabant Errhinis, Sternutatoriis, Masticatoriis ac apophlegmatisantibus, sed erroneâ ratione ut antè dictum. *Errhina* hinc & *Sternutatoria* vix commendarem, cum fluxum ad oculos magis concitant quàm reprimunt, dein etiam nimis fortè motum inducunt partibus corporis, per consequens & oculis, qui tamen vim non patiuntur, sed intacti servari volunt. *An opium in oculorum affectibus*

(s) in eleganti Dialogo de potu Thee p. 28. (t) Aph. XVII. Sect. 6.

(u) I. c. p. 117.

73

*cibis conductat*, ventilatur à Wedelio (x), Conf. Forest. (y). Ego suspensa manu & non nisi in acerbissimō dolore oculorum ac agrypnia adhiberem ex monitō Celsi (z) : *Si tantum mali est, inquietis, ut somnum diu prohibeat, eorum aliquid dandum est, quæ ἀνάστατη Graci appellant, satisque est puerο quod ervi, viro quod fabæ magnitudinem impleat &c.* Topica in fluxu hoc adhiberi solita plerumque sunt adstringentia, ut flor. Balaust., Myrtill., bolus armena, terr. sigillat, Sangv. Dracon., Succ. Acaciae, Lap. Hæmatit. &c. Sed adstringentia motum humorum impediunt, atque ita coagulationes ac tumores magis efficiunt, cum melius sit liberum in minimis vasculis procurare motum, ne subsistant humores, majusque vitium contrahant; Interim experientia suā testantur multi, non tolli motum sanguinis hisce, sed tantum non nihil compesci sicque effluxum per glandulas prohiberi. Itaque prudentiā Medicā hic opus erit. *Humectationem oculorum* admodūm nocivam clamitat vulgus, dummodo autem non actu frigida intempestivè oculo fuerint admota, humida calida non erunt nocentia. *Topica* itaque quæ adhiberi debent oculis sint abstergentia, discutientia, parumque adstringentia: ut Thus, Mastix; Camphora, Cerussa, Myrrha, Aloë, Sacchar. Hi, Lap. Calamin, Alumen, &c. Ex  $\nabla$ vis & tis Specifica habentur  $\nabla$  Euphragiæ, quæ vel totum humorem aqueum in oculis naturaliter contentum si effluxerit, restituere quidam volunt,  $\nabla$ Ros. alb, fœnic. Plantag., Virg. aureæ, Chelidon.,  $\nabla$  Ophth. Duc. de Croycum Sem. Sumach. Clar. Wedelius (a) egregiam vim detergendæ ac dissipandi adscribit Croco Metallorum, si grana aliquot jv.l.

vj.

(x) in Opiolog. L. 2. S. 3. C. 3. p. 147. seqq. (y) Obs. 5.  
L. XI. Schol. p. II. (z) Lib. 6. C. 6. p. 350. (a) Pharm. Ar-  
croam. p. 294.

vj pulverisata vae Chelidon. injiciantur, & post filtrationem aliquot guttae oculo instillentur. It. pinguedinem viperarum externè palpebræ illinitam vel in oculum guttatum instillatam pro humorum dissipatione ac visus confortatione idem commendat (b), Conf. Ludovic. (c). Hic etiam vñ Rosarum non nimis fermentatarum vel majori Vini Spiritusve ardantis quantitate ante destillationem humectarum laudat (d). Ettmull. etiam egregia multa adducit (e). Celsus (f) Co lyria plurima recenset. Burrhus (g) refert historiam de Virgine, cuius oculi perpetuo lacrymas effundebant, se illam, variis medicamentis ab aliis incassum adhibitis restituisse spatiò trium hebdomadarum cum decocto in simplici vñ ofsum bubolorum absque medulla & palearum tritici, ejusj. vñ a usum sepius se esse profitetur, ubi opus fuit exsiccare humores serosos, optato eventu. Doctiss. Dn. Welsch. (h) Succum ex baccis Solani tetraphylli (vulgò Hb. Paris) expressum, ad Epiphoras precellentissimum remedium (id est animam oculorum appellatum) ex Msto veter. Biblioth. Batav. proponit. Idem (i) vñ Rosar. in quā parum Aloës non lota dissolutum sit, contra fluxiones oculorum laudat. Idem (k) vñ Lapash. &c. per mensum integrum bibitam plurimos oculorum affectus persanasse affirmat. Si calida fuerit Epiphora pro sint Ungv. alb. Camphor., Rosat. Mesue &c. internè usurpati Puly absorbentibus: Terr; Sigill. C. C. f. Δ. & Diaphor. Medic. Oc. 25, Ebor. f. Δ. &c. & tandem purgetur Cor-

(b) in M. A. N. C. An. 2. Dec. I. Obs. 125. (c) in Pharm. Diff. I. p. 1240. (d) ib. p. 567. (e) Tom. II. à p. 791. -- 804. ir. T. I. p. 542. (f) Lib. 6. C. 6. (g) in Epist. de artif. oculor. humor. restit. ad Th. Barthol. dita, que exstat in Append. Varior. Instrum. Chirurg. ad Ar- mament. Chirurg. Sculerti p. m. 67. seqq. (h) in Append. ad Ann. IV. Dec. I. M. A. N. C. Mictomimemata. Tract. Cent. I. n. XX. p. 8. (i) L. c. Cent. II. n. XXXIV. (k) ibid n. LXII.

pus foliis Sennæ, Rhabarb., & dulc. rit. parat. Resin. Giap., Diagryd., vel Pilul. prædictis &c. Si frigida Epiphora & Tut. ȝ. Sarcocoll. gr. xv. Mastich. Thur. aa. gr. v. cum album. ovi vel mucil. Sem. Cydon, illinatur linteo, applicetur cantho interiori oculi. ▽. Ophthalmica de Febure multis in usu, est sequentis descriptionis: & ▽. flor. Cyan. Chelid. maj. Euphras. Ros. a. ȝ. superf. calc. viv. rec. e furno extract. filtratis adde Phlegm. Urin. cum ♂o alb. & t. ȝ. \*ci ȝ., stent in vase orichalceo in loco frigido sèpius agitando, donec perfectè coloratur, expone ulterius Soli & serva. Dn. Mangett. (l) inter alia laudat sequens, quod omnia alia vincere debet. ♂. ♂. alb. ter usi & ter exstinct. ▽ a Ros. ȝ. Gumm. Arabic. tragacanth. uforū & exstinctorum aa. ȝ. Tut. ppt. ♂. Ceruss. ♂. mucilag. Sem. Cydon: extract. c. ▽. Rosar. q. f. f. Linim, quo liniatur oculus circa utrumq. angulum, & ambæ palpebra etiam: deinde clauditur oculus, & applicatur molle linteolum, tum abluitur aliquando hoc decocto & Gallar. cortic., thuris, Mastich. N. Cupress. boli armen. aa. ♂. bulliat in ▽. fluviali. Schröderus (m) ▽m egregiam ad oculos habet, qua hæc est: Num \*ci so viel beliebet/ thue es in ein Meßingen Becken/ gieß Augentrost/ oder ein ander dienliches Wasser darauff/ als denn nim ein Rüttchen aus kurzen Sträuslein vom Besen gemacht/ und agitire mit stäupen des Wassers aufs geschwindesie und stärcke/ so fängt das Wasser an erstlich grün/ den bald mehr und mehr blauer zu werden. Wenn es nach deinem Gefallen hoch genug die Farbe erreicht/ so filtrre es durch ein Lechpappier. Man giesset davon 1. oder 2. Tropfen in die Augen. A variolis malè curatis puella quædam Epiphora per biennium graviter tentata, sequente convalluit: & panem secalinum e furno adhuc calentem, per medium dissecum superpositum ahena ex & confecta & linteis

D

ob-

(l) in Biblioth. Med. Praet. T. III. l. 13. p. 561. seq. (m) in fol. à Dn. Koschwitz, in Vernacula nostram translatus, p. m. 144.



obtecta, vaporemque ad parietes ejus appellere sivit, illumque in guttas resolutum pro Collyrio ter de die usurpando collegit.

§. XXIII. Cum omnis occasio sufficiens sit sec. Coum nostrum (n) ad debiles oculos conturbandos *Dieta* in primis & Epiphora laborantibus servanda erit. Aër temperatus sit vel arte parandus, frigidus vitandus ac impetuofus. Cibi oculis incommoda sunt lenticula, fructus pomorum dulces, & olera secundum Hippocr. (o), item ea quæ caput replent, raphanus, cepæ, allium, sinapi &c. Hinc *surtorios* & *exuvios* conducunt, conditi cum euphragiâ, majoranâ, fœniculô ejusque semine &c., modicè etiam cibandum. *Potus* sit cerevisia tenuis: volatilia, spirituosa & copiosa potulenta exulent, præfertim immoderati haustus, ingurgitationes post medium noctem, vina acida vitentur, nisi quis lacrymosa vino lumina cum ebriosâ anu apud Ovidium retinere velit. *Somnus* largior sit. *A motu* corporis abstinentum potius, & quieti studendum. *Alvus* liquida servetur. *Animi pathemata* graviora in primis ira & tristitia cane pejus & angue arceantur.

(n) *de Medico* II. 16. (o) *Popul. VII. XXXIX.* 3. 4.

## COROLLARIA.

**S**Alivatio *gialis* & Honestissimis Viris competens Cura est, nec cuiquam labem adsperrgit.

II. Hæc & in Oculorum affectibus convenit.

III. Palliativè curare morbum inò & oculum licet.

IV. Recens morbus non melior est, aut faciliter curatur, quam inveteratus, quod & affectu quodam oculorum monstrare possum.


35 (o) 55

154728

X 2420957


R 1077





Nº 41

Nº 41



11032

**DISPUTATIO INAUGURALIS**  
**ANATOMICO-MEDICA**  
**DE**  
**EPIPHORA,**  
*Quam*  
**SUB AUSPICIIS SUPREMI ARCHIATRI,**  
**RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,**  
SERENISSIMO atq. EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,  
**DOMINO FRIDERICO**  
**WILHELMO,**  
**REGNI BORUSSIÆ ET ELECTORATUS**  
 BRANDENBURGICI HÆRFIDE &c. &c. &c.  
 AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU  
 ET BENEVOLO FACULTATIS MEDICÆ DECRETO  
 IN REGIA AD PREGELAM ACADEMIA,  
**PRO GRADU DOCTORIS**  
 SUMMISQUE IN ARTE MEDICA PRIVILEGIIS  
 AC HONORIBUS  
 Rite ac legitimè consequendis  
 Publicè Eruditorum Disquisitioni proponit  
**CAROLUS JACOBUS Roser/**  
Quedam Bergensis SAXO  
Die 18. Octobr. Anni MDCCIII.  
**IN AUDITORIO MAJORI,**  
 Horis ante & pomeridianis.  


---

 R E G I O M O N T I ,  
 Typis FRIDERICI REUSNERI, SAC. REG. MAJ. & ACAD.  
 Typogr. Hæredum.